

« nei Jesum esse Messiam ex miraculorum multitudinem adstruunt. »

3. — Albertus Magnus Chrysostomi auctoritatem adducens ait : « Crediderunt, non tamen fide firma et certa, » quia de Christo tanquam Messia, non animose, sed quadam cum perplexitate loquebantur : « Sed tamen aliquem calorem fidei et devotionis conceperant, qui si fuisset fortis a Phariseis et Sacerdotibus convulsisset. » Hugo Cardinalis inquit : « Intuere quantum est humilitatis verborum lucrum, quia dixerat humiliter : *Ab ipso sum et ipse me misit.* » Cajetanus hoc loco bene considerat quod verbum Dei nunquam affectu suo frustretur aut fallat : « Quamvis pertinaces fuerunt Judei, non tamen infructuosa fuit Christi doctrina tunc, quoniam multi de turba crediderunt in illum. » Glossa Interlinearis ait : « Prædica-

« tione et miraculis moti, simpliciter credunt, et verba et facta Domini glorificant. »

4. — S. Thomas Christum hic de turbis, non vero de Principibus et Sacerdotibus loqui advertit ; dicit enim : « Quanto majores erant, tanto magis erant elongati, et ideo in eis sapientia locum non habebat ; quia ut dicitur *Prov.*, xi, 2 : *Ubi humilitas, tibi sapientia.* Turba autem, quia suam agritudinem cito vidit, Domini medicinam sine dilatione cognovit. *Matth.*, xi, 25 : *Abcondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis.* Et propter hoc in principio humiles et pauperes conversi sunt ad Christum. »

5. — S. Augustinus de populi illius Principibus ita scribit : « Insaniebant, et ideo Medicum non solum non agnoscebant, sed etiam occidere cupiebant. »

FERIA QUARTA POST DOMINICAM QUARTAM QUADRAGESIMÆ

EVANGELIUM JOANNIS, CAP. IX, VERS. 1

1. Et præteriens Jesus vidit hominem cæcum a nativitate.
2. Et interrogavit eum discipuli ejus : Rabbi, quis peccavit, hic, aut parentes ejus, ut cæcus nasceretur ?
3. Respondit Jesus : Neque hic peccavit, neque parentes ejus, sed ut manifestentur opera Dei in illo.
4. Me oportet operari opera ejus, qui misit me, donec dies est ; venit nox, quando nemo potest operari.
5. Quamdiu sum in mundo, lux sum mundi.
6. Hæc cum dixisset, expuit in terram, et fecit lutum ex sputo, et linivit lutum super oculos ejus.
7. Et dixit ei : Vade, lava in natatoria Siloe, quod interpretatur, Missus. Abiit ergo, et lavit, et venit videns.
8. Itaque vicini, et qui viderant eum prius, quia mendiculus erat, dicebant : Nonne hic est qui sedebat, et mendicabat ? Alii dicebant, quia hic est.
9. Alii autem : Nequaquam, sed similis est ei ; ille vero dicebat : Quia ego sum.
10. Dicebant ergo ei : Quomodo aperti sunt tibi oculi ?
11. Respondit ille : Homo, qui dicitur Jesus, lutum fecit, et unxit oculos meos, et dixit mihi : Vade ad natatoria Siloe, et lava ; et abii, lavi, et video.
12. Et dixerunt ei : Ubi est ille ? Ait : Nescio.
13. Adducunt eum ad Phariseos, qui cæcus fuerat.
14. Erat autem sabbatum, quando lutum fecit Jesus, et aperuit oculos ejus.
15. Iterum ergo interrogabant eum Pharisei, quomodo vidisset ? Ille autem dixit eis : Lutum mihi posuit super oculos, et lavi, et video.
16. Dicebant ergo ex Phariseis quidam : Non est hic homo a Deo, qui sabbatum non custodit. Alii autem dicebant, quomodo potest homo peccator hæc signa facere ? Et schisma erat inter eos.
17. Dicant ergo cæco iterum : Tu quid dicis de eo, qui aperuit oculos tuos ? Ille autem dixit : Quia Propheta est.

18. Non crediderunt ergo Judæi de illo, quia cæcus fuisset et vidisset, donec vocaverunt parentes ejus, qui viderat ; et interrogaverunt eos, dicentes.
19. Hic est filius vester, quem vos dicitis, quia cæcus natus est, quomodo ergo nunc videt ?
20. Responderunt eis parentes ejus, et dixerunt : Scimus quia hic est filius noster, et quia cæcus natus est.
21. Quomodo autem nunc videat nescimus, aut quis ejus aperuit oculos, nos nescimus ; ipsum interrogate, ætatem habet, ipse de se loquatur.
22. Hæc dixerunt parentes ejus, quoniam timebant Judæos : jam enim conspiraverant Judæi, ut, si quis eum confiteretur esse Christum, extra synagogam fieret.
23. Propterea parentes ejus dixerunt : Quia ætatem habet, ipsum interrogate.
24. Vocaverunt ergo rursus hominem, qui fuerat cæcus, et dixerunt ei : Da gloriam Deo, nos scimus quia hic homo peccator est.
25. Dixit ergo eis ille : Si peccator est, nescio ; unum scio, quia cæcus cum essem, modo video.
26. Dixerunt ergo illi : Quid fecit tibi ? Quomodo aperuit tibi oculos ?
27. Respondit eis : Dixi vobis jam, et audistis ; quid iterum vultis audire ? Numquid et vos vultis discipuli ejus fieri ?
28. Maledixerunt ergo ei, et dixerunt : Tu discipulus illius sis, nos autem Moysi discipuli sumus.
29. Nos scimus, quia Moysi locutus est Deus ; hunc autem nescimus, unde sit.
30. Respondit ille homo, et dixit eis : In hoc enim mirabile est, quia vos nescitis, unde sit, et aperuit mihi oculos.
31. Scimus autem quia peccatores Deus non audit ; sed si quis Dei cultor est et voluntatem ejus facit, hunc exaudit.
32. A sæculo non est auditum, quia quis aperuit oculos cæci nati : nisi esset hic a Deo, non poterat facere quidquam.
33. Responderunt, et dixerunt ei : In peccatis natus es totus, et tu doces nos ? Et ejecerunt eum foras.
34. Audivit Jesus, quia ejecerunt eum foras ; et cum invenisset eum, dixit ei : Tu credis in Filium Dei ?
35. Respondit ille, et dixit : Quis est, Domine, ut credam in eum ? Et dixit ei Jesus : Et vidisti eum, et qui loquitur tecum, ipse est.
36. At ille ait : Credo, Domine ; et proci dens adoravit eum.

Versus 1.

Et præteriens Jesus vidit hominem cæcum a nativitate.

Et præteriens Jesus.

1. — De Salvatore nostro in Actis Apostolorum, x, 38, scribitur : *Unxit eum Deus Spiritu Sancto et virtute, qui pertransiit benefaciendo et sanando omnes.* Ubi Chrysologus, *Serm.* xvi, ait : « Christus quod loca circuit, quod maria transtretat, non est res humani desiderii, causa est humane salutis. » Nimirum exemplo suo ad compassionem movere nos voluit, ut videlicet dum in miserabilem aliquem hominem incidimus gressum nostrum sistamus, ad hoc ut ei ope et subsidio nostro subvenire possimus ;

unde S. Ambrosius, *epist.* lxxv, ait : « Ergo nec nos præterire debemus, quem Dominus præter eundem non putavit. »

2. — Valde considerabilis est illa temporis circumstantia, in qua Salvator miraculum istud operatus fuit. Etenim S. Joannes, *cap.* viii, in fine, ut Salmeron, *tract.* xxxix in *Joan.*, 8, advertit, dicit Judæos post diuturnam in templo Salvatorem inter et ipsos habitam disputationem, se confusos et convictos videntes, saxa arripuisse, ut eum eisdem impeterent, Salvator autem iræ et furori ipsorum cedere volens, sese abscondit, et e templo sese proripuit : « In quo egressu hoc signum tam magnum et evidens sue deitatis testimonium operatus est ; atque hic lapis fortissimus fuit, quo Dominus Phariseorum fortissime percussit frontem. » At

vero quod in hoc facto in majorem nos admirationem rapere debet, est, quod per sua miracula ipsorum contra se invidiam et crudelitatem majora semper incrementa accipere videns, ab iisdem patrandis non solum non desisterit, verum etiam longe prodigiosa opera ceciderit, propriam salutem nihil faciens, ut salutem promoveret aliorum. Et ideo S. Ambrosius jure merito dicit: « Tantum fuit Domino studium suae salutis, ut propemodum de sua peccaretur, dum te lucraretur. » Videbat enim, quod hunc a nativitate caecum hominem illuminando, non solum ipsum, sed et omnes alios spiritualiter excaecatos illuminatus esset, ac proinde omne contempsit periculum. Consideranda quoque est Redemptoris nostri benignitas et mansuetudo, quam impiorum illorum homicidarum insultibus per stupendorum miraculorum suorum beneficentiam occurrere non intermittebat. Unde Salmeron ait: « A tantis conviciis et injuriis ad beneficiendum dum excitatus est, docens nos, quomodo certandum sit cum capitalibus inimicis, nempe benevolentia et beneficiis. »

3. — Enimvero videri quidem nonnemi posset Dominum nostrum obiter et per transennam, sive casualiter miraculum illud edidisse; at revera non est ita, quin potius in eo evidens quoddam infallibilis sapientiae et providentiae suae specimen edidit, siquidem dum ab Hebraeis lapidibus impellitus et a templo egressus, caecum hunc, verum Gentilismi illuminandi typum, sano visu illustravit, se id ob certum quoddam mysterium insinuandum facere ostendit, e quo ab illo populo esset turpiter expulsus et reiectus. Unde S. Cyrillus Alexandrinus, *lib. VI in Joan.*, ait: « Certissimum velut documentum ac signum ponens se a Judaeis discessurum, gentesque potius denuo respecturum et eos inviturum. » Unde hinc duo praecipua documenta colligere licet. Primum est, quod dum Christus nonnunquam per divinas suas inspirationes obiter et per modum transeuntis cor nostrum pertransit, cavendum nobis sit, ne id fortuito et casualiter fieri credamus, quin potius anima ad eorum acquirendam erecta, illum tunc nequaquam a se abire pati debeat, ut dicere possit: *Tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum, etc.* Alterum vero est, quod Christus in tantum a Judaismo recesserit, in quantum ab eo data opera et violenter expulsus fuit, quia Deus ab animabus nostris nunquam discedit, nisi non peccato aditum indulgendo primi simus; qui illum a nobis vi exturbemus. Idem quoque Cyrillus dicit: « In transitu vero Christi, gentium oculi sanati sunt, transferentis in eas misericordiam propter rebellionem et incredulitatem Israel. »

Vidit.

4. — Chrysostomus, *Hom. LV in Joan.*, benignis-

simum Salvatorem nostrum considerat, qui benignum oculorum suorum obtulit in hunc caecum dixit: « Ipse vidit caecum et non ad ipsum caecus accessit, et tam diligenter eum intuitus est, ut discipulos ad interrogandum converteret. » Estque hoc speciale quoddam dilecto Christi discipulo nobis ob oculos positum motivum, quod ad Deum ardentem amandum incitemur, *I Joan.*, IV, 19: *Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos.* Non fuit caecus hic primus, qui a Christo expeditum sibi visum donari petiit, sed potius Christus omnium primo fuit ad pietatem erga ipsum commotus, *Joan.*, VI 44: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum.* S. Antonius de Padua, *Serm. in hac fer.*, dictionem illam, *vidit*, hisce verbis ponderat: « Ad quem aspiciendum Dominus subsistit, quasi diligenter vellet ejus infirmitatem contempleri. » Dionysius Carthusianus caeci hujus proprium nomen exprimit, eumque nomine Cedoniam appellatum fuisse dicit; imo subjungit ipsum in societate SS. Mariae Magdalene, Marthae, Maximini et Lazari e Judaea fuisse expulsus. Qui idem venerabilis et extaticus Doctor, super illa dictione, *vidit*, ita scribit: « Diligentem intuitu oculi corporis, pio quoque respectu divinae miserationis. »

5. — Lucas Brugensis quoque hunc obtutum in hunc caecum nequaquam obiter directum fuisse observat: « Non obiter et velut casu, sed aranea quadam prudentia et providentia; nam gradu sistens defixis oculis contemplantur hominem, per cuius sanitatem Dei gloriam esset mirabiliter illustratus. »

6. — Jansenius quoque considerat quod principium hujus miraculi obtutu oculorum Christi cepit: « Miraculi hujus exordium coepit a visione et aspectu Domini, qui ubique faustus et salutaris legitur fuisse. » Porro hominem hunc a nativitate caecum fuisse, Jerusalem non passim omnibus notum fuit, atque ideo dum illum talem revera esse manifestavit, oculum se propheticum habere ostendit. Unde Auctor quidam de Christi oculis ita scribit: « In oculis Domini fuit propheta. » *Job*, XXXIX, 29, quoque de caelesti hac aquila, ejusque lynceis oculis ita scribit: *De longe oculis ejus perspicit.*

Hominem caecum a nativitate.

7. — Salmeron Christum dixisse observat: *Ego sum lux mundi*, ipsumque ut veram se lucem esse probaret, caecum hunc illuminare voluisse scribit, quem profecto conditione sua miserabilem fuisse non negare poterit, quem proinde Lucas Brugensis, « Deplorata caecum » appellat, « cui nulla cura, aut arte humana visus posset conciliari, ut cui orbis oculares essent vel vacui, vel repleti materia inepta ad recipiendum visum. »

8. — S. Augustinus, *tr. XLIV in Joan.*, in hoc miserabili homine universum genus humanum praefiguratum fuisse existimat: « Hec enim caecitas contingit in primo homine per peccatum, de quo omnes originem duximus. Venit Dominus; quid fecit? Magnum mysterium commendavit, expuit in terram, de saliva sua lutum fecit, quia Verbum caro factum est. »

9. — Rupertus Abbas Tuitiensis, *lib. IX in Joan.*, super haec verba discurrens illum gentilium expressum typum fuisse existimat: « Lux vera Christus, qui superius dixit: *Ego sum lux mundi*: qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitae, lux vera quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Quod a Judaeis oculis suos claudentibus ad gentes transierit, easque illuminaverit, manifestum est, eorum scilicet gentium caecitatem originalem homo ille a nativitate caecus significat. » Porro de gentilismo in vera fide illuminato Propheta Evangelicus hoc modo vaticinatus fuit: *Populus, qui habitabat in tenebris, vidit lucem magnam, habitantibus in regione umbrarum mortis lux orta est eis, multiplicasti gentem.* Notandum quoque quod S. Joannes hujus miraculi historiam terminans, Christum tandem haec verba subjunxisset scribat: *In iudicium veni in hunc mundum, ut et qui non vident, videant, et qui vident, caeci fiant*; quod et reapse constitutum est, siquidem Iudaei, qui praecunctis terrae populis majori veri Dei lumine fuerant collustrati, *Ps. LXXXV, 2: Notus in Judaea Deus, in Israel magnum nomen ejus, lumen illud amiserunt*; utpote quod ad Gentiles, qui antea caeci fuerant, demum pertransiit. Eiusdem quoque sententiae est S. Cyrillus, *lib. VI in Joan.*, dum hanc comparisonem facit: « Quemadmodum ille qui curatus est caecus, non videbat Jesum, misericordia vero et clementia hoc praeter spem et expectationem locutus est; sic et idem gentibus per Christum contigit. » Demum vero quod illuminatio hujus caeci in die sabbati acciderit, hoc quoque idem S. Doctor mysterio particulari attribuit, dum ait: « In sabbato curatio illa perficitur, sabbato nobis hic implere idoneo figuram ultimi temporis, praesentis nempe saeculi, quo Salvator gentibus illuxit, finis quidem hebdomadae est sabbatum. »

10. — Per hunc quoque caecum intelligi potest peccator, qui divinae gratiae lumen et Christum ipsummet amisit, de quo scribitur, quod *illuminat omnem hominem. Comprehenderunt me iniquitates meae et non potui ut viderem.* De propterea nostris in Scriptura dicitur: *Aperti sunt oculi amorum, non quod antea corporaliter caeci fuerint, sed quia ut Origenes, lib. VII contra Celsum, scribit: Quos prius habuerunt perspicaces animae oculis, fruentes Deo et ejus paradiso, eos, ut opinor, propter peccatum clausurunt: Ambulabat ad*

auram post meridiem ad vespereum. » At vero dices fortasse, qua ratione in paradiso vesper esse poterat? S. Ambrosius respondet: « Denique in paradiso radio, ubi semper matutinus erat dies, vesper est factus, quoniam omnia peccata tenebrosa sunt. »

11. — Primum spoliun, quod Antiochus, verus demonis typus, et tempo depradatus fuit, erat magnum illud candelabrum quod sustulit, illosque lumen extinxit: *Accepti candelabrum luminis, ad denotandum quod demon mox, ut in nobis, vos estis templum Dei vivi, aditum sibi acquisivit, lumen iudicii, rationis, discretionis et applicationis ad salutem aeternam eripiat et distinguat.* Corvi proprietates esse dicitur, quod primum, quod in cadavere devorat, sit oculus, quem statim rostro suo erevilit et depascitur. Certum quoque est quod nisi aiceps falconis apertos oculos caputis conlegeret, eundem in manu sua ligatum coercere non posset, quia avolaret; ita quoque astutus ille serpens nobiscum facit, quia ut nos in perpetua sui servitute retineat, spiritualiter nos caecos efficit. Unde David, qui caeteroquin adeo illuminatus erat, postquam in adulterium turpiter lapsus fuerat, lamentatur, *Ps. XXXVII, 11: Dereliquit me virtus mea, et lumen oculorum meorum, et ipsum non est mecum.* Samsou, postquam Philistheorum praeda factus esset, subito oculis suis privatus fuit, Sedecias pariter, in Babyloniam adductus, mox ibidem oculorum lumine privatus fuit; idem quoque damnus nobis affert princeps tenebrarum, mox ut in ejus servitute redacti sumus, *Job*, XVII, 6: *Lux obtinebret in tabernaculo illius, et lucerna, quae super eum est, extinguitur.* Idem quoque supplicii genus in Isaia, VI, 10, exprimitur, dum is ait: *Excava cor populi hujus et oculos ejus claudet, ne forte videat oculis suis et corde suo intelligat, et convertatur, et sanem eum;* tametsi enim verum sit quod Deus conversionem nostram desideret, attamen, ut S. Hieronymus commentatur: « Hoc intelligendum, quod pro magnitudine sceleris, etiam poenitentia indigni iudicati sunt. » Salmeron quoque hanc caecitatem ad vivum exprimit, dum ait: « Omnis peccator caecus est, nec seipsum, nec Deum, a quo tota beneficia in dies accipit, cognoscit: *Non est intellexit licens tui requirere Deum.* Non distinguit, praeterquam villa pretiosis, et temporalia aeternis. Non videt vel praecipitium peccati, vel foveam inferni. Docetorem alium non habet quam principem tenebrarum. » Pergit demum idem allusionem peccatoris in hoc caeco adumbratas prosequi, dicitque per baculum, cui is innititur, intelligendum esse *Fiduciam in carne fraudulentam*; per mendicitatem harum terrenarum insatiabilitatem intelligit, quae semper nos pauperes efficit: *Quia non satiatur oculus visum, nec auris auditum impletur.* Foris extra templum constitutus reperitur: « Quia pec-

« cator templum Spiritus Sancti non est, et templum Dei profanavit. »

12. — Hugo Cardinalis illos a nativitate caecos esse dicit, qui in natalibus suis efferuntur et superbiunt : « Caecus a nativitate, id est, ille qui excedit per superbiam, de nobilitate stirpis suae; illuminatur per duo, per sputum et lutum, si apponant ad oculos suos. Considerare enim debemus vilitatem nostram, quae significatur per sputum; et fragilitatem, quae significatur per terram; haec duo sunt collivium oculorum, ut homo se videat et agnoscat. »

VERSUS 2.

Et interrogaverunt eum discipuli ejus : Rabbi, quis peccavit, hic, aut parentes ejus, ut caecus nasceretur ?

1. — Porro interrogatio omnino irrationabilis minime fuit, quia poena semper culpam et vestigium et proportionaliter sequitur. Oleaster verba illa fratrum Joseph, nimirum : *Merito hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum*, considerans dicit : « Optima consideratio, cum senseris poenam culpae meminisse; » qui idem auctor hanc Apostolorum interrogationem recolens, subjungit : « Licet enim aliquando poena sine culpa hominis eveniat, nihil tamen mali est, si se propter culpam castigatum patet, ut in se aliquid emendandum corrigat. »

2. — S. Thomas, in *Joan.*, nos duobus modis puniri dicit : nimirum, vel poena spirituali, quae animam tangit; vel temporalis, quae afficit corpus : « Poena quidem spirituali nunquam filius pro patre puniatur; » cuius ratio Ezechielis, xviii, 4, assignatur, ubi dicitur, quod anima filii non sit patris, sed Dei : *Omnis anima mea sunt : sicut anima patris, ita anima filii*; quod vero poenam temporalem attinet, hæc filius nonnunquam pro patre puniatur, cum quoad corpus, quædam sit pars illius : « Quare autem non peccato alius puniatur, sciendum, quod poena duo habet : læsionem et remedium; nam aliquando absconditur membrum, ut totum corpus conservetur, et sic poena hujus læsionem infert, in quantum absconditur; sed remedium habet, in quantum conservat corpus; » nunquam tamen medicus nobilissimum membrum abscondit, propter conservationem minus nobilis, sed e converso. In rebus autem humanis anima nobilior est corpore, et corpus nobilior exterioribus rebus, et ideo nunquam fit ut aliquis propter corpus in anima puniatur; sed potius in corpore propter remedium anime. » Quot nascuntur claudi, caeci, surdi, pauperes, qui si sani, divites, aut videntes fuissent, damnarentur; nunc autem miseriam suam patienter supportando, salvantur. Unde S. Thomas concludit : « Quandoque

« Dominus irrogat poenas corporibus, vel rebus exterioribus propter remedium bonum anime; » et tunc homini poena non inferuntur, ut hebraeo tantum, sed ut purgativæ in remedium. » S. Bonaventura similem quoque distinctionem adducit, dum ait : « Poena æterna non puniatur quis pro peccatis parentum, nisi fuerit imitator; et tunc puniatur pro peccatis propriis; poena tamen temporalis, quæ potest esse utilis ad vitiorum exclusionem, et meritum augmentationem, non est inconveniens quod puniatur. »

3. — S. Augustinus in discursu quodam, quem de hoc caeco instituit, ostendit, quod is, tametsi caecus fuerit, multarum tamen transgressionum potuerit esse reus; ita enim scribit : « An quia oculos clausos habebat, concupiscentiæ minime vigiliabant? Quanta mala committit caeci? A quo malo abstinere mens mala, etiam clausis oculis? » Non poterat videre, sed noverat cogitare, et concupiscere aliquid, quod caecus non posset implere, sed in corde judicari a cordis perscrutatore. »

VERSUS 3.

Neque hic peccavit, neque parentes ejus, sed ut manifestentur opera Dei in illo.

Neque hic peccavit, neque parentes ejus.

1. — « Levitatem nostram compescit, » inquit Rupertus Abbas, « ne quoties cum hujusmodi prae ratione, membrorumque aliqua deformitate aut diminutione natos aliquos conspiciamus, nostram in illis carnem despiciamus, temerarium jactantes judicium, quod vel propter parentum culpam hoc evenit; sed cunctos venerantes, ministrans illis tanquam revera membris Christi, qui dicturus est nobis : *Quomodo unum ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* » Idem quoque Venerabilis Auctor aliud adducit motivum, quod cum eo, quod in presenti est Evangelio, coincidit, nimirum ejusmodi defectus instrumenta esse declarat, quibus opera et gloria Dei manifestetur. Salmeron ait : « Solatur hoc verbum omnes, qui a nativitate vitium aliquod contraxerunt. »

2. — Satis est verisimile, quod tam hic caecus quam parentes ejus, utpote qui in populo eo saeculo, quo Filius Dei incarnatus fuit, divine legi adeo rebelli nati fuerant, multorum fuerint peccatorum rei; verumtamen Christi proprium est illa abscondere et contigere : *Charitas operi multitudine peccatorum*; atque ideo ipsum non in poenam peccatorum suorum caecum natum fuisse dixit, sed ob alios fines longe diversos. Dum germani Josephi Patriarchae fratres suum coram eo seclusa mente recolerent, ipse tanquam vir summa prudentia et charitate praeditus ea contexit, dicendo : *Pro salute vestra misit me Dominus ante vos in Ægyptum.*

Sed ut manifestentur opera Dei in illo.

3. — Considerat Toletus, quod Deus ab unoquoque nostrum, qui sumus peccati protoparentum nostrorum consortes, in peccati originalis poenam, qualemque exposcere possit cruciatum et infirmitatem; unde sit, quod etiam parvuli, qui actualiter nunquam peccaverunt, multis infirmitatibus, imo et morti ipsimet videantur subjecti; quod autem omnes, qui qualiter debitores sumus, non aequali poena afficiat, id opus singulare est misericordiae ejus : « Cum igitur huic caecitatem immisit, propter divinam gloriam, non est factum sine justitia, cum majora potuisset infligere propter peccatum ejus, et parentum; ut autem aliquid iuste fiat, sit sine iniustitia, quamvis non propter justitiam fiat. » Pro cujus majori evidentiæ exemplum adducit creditoris alienus, qui multos habet creditores, a quibus tamen ex solo compassionis motivo debita non exigit : « Si contingat aliquando pro his, quae ad seum pertinent honorem, partem debiti ab uno exigere, injuste non facit, quia major ille debebat. » Secunda ratio, ex qua ostendit, quod nullam illi adversitates aut infirmitates ei immitendo, faciat injuriam, est, quia quando Deus alicui caecitatem, surditatem, paralysim, vel alias similes infirmitates immitit, nihil illi auferit, quod jure aliquo ipsius est, quia sanitas et integritas corporalis nulli in statu peccati ex natura lege debetur, et si illa de facto fruamur, donum est ipsius gratuitum : « Quando ergo alicui non dat visum, aut sanitatem, aut longam vitam, non auferit debita, sed non donat quae donare potuit, hæc non est iniustitia, sed donationis suae terminus. » Tertia ratio est, quia tametsi nulla in inferno esset transgressio, illique sanitas stricto jure deberetur, non tamen immisus ei morbus iniustitiam aliquam, sed summam potius justitiam argueret; quia si homines libenter amore boni publici, se libenter vite et facultatum jacturæ submittunt, ipsique Principes subditos suos stragi et interfectioni pro republicae defensione in bello exponunt : « Multo potiori jure in hoc casu justa est caecitas, quam passus est iste, non solum pro communi bono, id est, pro fide in Christum concilianda, in qua salus hominum est, sed etiam pro Dei honore et gloria, ut Deus ipse glorificetur ab hominibus. » Martyres se felices terque beatos existimabant, quando in fragilibus corporibus suis aliquod pro fidei Christi testimonio edendo, constantiam, fortitudinis, et heroicae virtutis specimen prodere poterunt. Unde Toletus de hoc caeco ita concludit : « Non solum ergo iniustitia non est, sed si fieri posset, ut ipsi ante caecitatem diceretur : Ecce caecitas hæc futura est pro Dei gloria et pro manifestatione veræ fidei, tenebatur ille ex justitia acceptare; nam plus est vita,

« quam visus; et majus malum mors quam caecitas, » et tamen Martyres pro fide et gloria Dei obligantur mortem subire. » Quarta, quam asserit ratio, nequaquam est alius inferior; siquidem dato etiam, quod nulla praedictarum rationum concurreret : « Adhuc iniustitia non esset, nec injuria alia; quia per hanc caecitatem consecutus est multo majus bonum, nempe visum mentis per fidem et vitam animæ; si enim medicus vulneraret corpus propter sanitatem corporis; quid mirum, si Deus id faciat propter sanitatem anime. »

4. — Chrysostomus, *Hom. iv in Joan.*, hunc in modum discurret : « An non aliter poterat gloria Dei manifestari? Quidni? neque enim dicit : Non potuisset, sed et in hoc ut manifestaretur; ergo injuriam propter Dei gloriam accepit? Quam injuriam, die quæso, etiamsi eum non produxisset aut formasset? » Pergit idem sanctus Doctor ulterius, et præcedentem illam caecitatem magno ei beneficio fuisse ostendit : « Vidit enim interioribus oculis. » Quid oculi Judæis contulerant? Majus supplicium, cum videntem caeci essent. Quid caecitas huic obfuit, propter quam vidit? Hugo Cardinalis inquit : « Beneficium eum accepisse aio a caecitate, interioribus enim oculis aspexit, quod non Judæi. » Denique solum peccatum malum denominari potest concludit : « Peccatum duntaxat malum. » Quot fuerit homines perbesticissimo lumine praediti, qui tamen ad tenebras fuere condemnati! Quot e contra oculorum laborarant caligine et caecitate, qui tamen nunc irretitis illum solem aspiciunt oculis, qui tribus luminibus in una luce resplendet! « Peccatum solum malum est, » inquit S. Bonaventura; « caecitas verò non est malum; » scilicet exterior, sed interior. »

5. — Porro qualis in hac caecitate, operum Dei manifestatio facta fuerit, Toletus his verbis exponit : « Ut opera divinitatis meae in ea caecitate expellenda mundo manifestentur, ut me Deum esse, in eo sanando ostendam, quia tale opus faciam, quod a solo Deo esse potest. » Janenius omnia, quae in hac historia referuntur, ad magnificandam Christi gloriam mirifice servare dicit; etenim ipse caecus plurimum notus erat, idque causa fuit, quod miraculum istud ad majorem venerit hominum notitiam. Innotuit etiam benignitas Salvatoris, qui non divites, sed pauperes mendicos curabat, a quibus nihil praemii aut lucri sperare poterat. Denique hominem hunc curavit absque eo, quod ipse vel minimum id ab eo postulasset.

6. — Dionysius Carthusianus multas examinatas causas, propter quas Deus nos in hac vita affligit et castigat, easque omnes ad quinque præcipuas reducit. Nimirum : propter peccata, ut ab illis hic purgemur, nosque emendamus; ob erudendam poenam et supplicium quando in his obstinati sumus, ut hac ratione in hac presenti vita tormenta inferni

suam habeant exordium; pro majori incremento meritorum, et probatione virtutum, prouti Jobo pariter et Tobias accidisse legitur; propter vigilem custodiam donorum et honorum spiritualium, ne extollamur et inflemur; denique, ut in tribulorum patientia, eorumdemque cordiali læticia, nec non in miraculis Christi magis nonnunquam appareat æterni Patris sui gloria, prouti hoc in cæco vere accidisse constat. « Discimus hinc, » inquit Cajetanus, « mala pœnæ a Deo indigi, quandoquidem ad « manifestandam gloriam ipsius Dei, nec in hoc « injuriam facit Deus alicui, qui propter majus « bonum sic disponit; » imo si nullum ex tribulationibus et ærumnis aliud enasceret bonum, hoc saltem permagnam et inestimabilem censeretur mereri, quod scilicet sciamus, quod hoc lutum, quale homo est, instrumentum tale sit, quod ad Dei Creatoris, Redemptoris et benefactoris sui gloriam et honorem cooperari possit. Quenam esse potest hominis alienius Christiani major gloria quam quod miserie, quæ peccatorum suorum effectus sunt, quæque aliunde huic naturæ corruptæ annexæ sunt et connaturales eidem, ad finem quemdam adeo divinum, qualis est honor et gloria veri Dei, eleventur?

7. — S. Thomas de Aquino hoc loco observat quod : « Per opera Dei in ejus cognitionem ducimur? cognitio autem Dei est summum bonum « hominis, cum in ea consistat hominis beatitudo. « Joan., xvii, 3 : *Hæc est vita æterna, ut cognoscant eum; si ergo infirmitas contingit, ut manifestentur opera Dei, et per ipsorum manifestationem Deus « immotescit, manifestum est, quod homini corporales infirmitates contingant propter bonum. »*

8. — S. Cyrillus Alexandrinus, *lib. VI in Joan.*, considerat quod medici alicujus præstantia exinde vel maxime agnoscat; si infirmitatem desperatam curare prævaleat : « El quis in eo medici, qui « eum curavit, vim non admirabitur? » Miserabilis homo ille a nativitate cæcus, omnisque humani remedi incapax erat; præterea si medicamentum, quo usus est, et modum quo ei oculorum impertitus est lumen, consideretur, quis cælestis hujus profomedici sapientiam non obstupescat?

9. — Chrysostomus ingenioso quodam artificio oculum nobis describit, quædam artificum præstantioribus operibus, quæ supremus hic artifex nunquam proderit. Et ideo in hoc opere omnipotentia et sapientia Dei specialiter manifestata fuit. Ita enim sanctus ille Doctor loquitur : « Universe « creaturæ homo est præstantissimus, et inter « membra nostra oculus; propterea non simpliciter, sed hoc modo oculos effinxit : quæcumque « in nobis sunt, divinæ sunt sapientiæ indicium, « multo magis oculus, qui totum corpus gubernat « et regit. Quod sol mundo, hoc oculus corpori; « extincto sole, omnia perduntur et gubernantur,

« ita amissis oculis, pedes inutilis sunt, et manus, « et animus, corrumptur enim cognitio, his enim « Deum cognovimus; invisibilia enim ipsius a creatura mundi per ea quæ sunt intellecta, conspiciuntur, non enim corporis lucerna tantum oculis est, sed animæ potius; quare ut regio quodam loco in altiore corporis parte sedem sortitus « est, et cæteris præfertur sensibus. »

VERSUS 4.

Me oportet operari opera ejus, qui misit me, donec dies est; venit nox, quando nemo potest operari.

Me oportet operari opera ejus.

1. — Salvator noster de miraculis suis loqui hoc loco intendebat, quæ in terris nobiscum in carne mortali vivens editurus erat. Lucas Brugenensis ait : « Intelligit potissimum miracula edenda divina « virtute, quibus homines adducantur ad fidem in « Christum, et consequenter salutem, inter quæ in « primis habet hujus cæci illuminationem. » Theophylactus per opus ejus fidem Evangelii et Ecclesiæ intelligit, quam in mundo plantare volebat : « Opus Dei fidem nominat. » Beda quasi idipsum his verbis docet : « Que sunt opera Domini, propter quæ venit Filius Dei in mundum, nisi cæcitate generis humani illuminaret. »

2. — Per hæc Dei opera intelligi quoque potest divinæ pietatis et misericordiæ suæ erga miserabiles exercitium : *Miserationes ejus super omnia opera ejus;* unde Rupertus Abbas ait : « Notandum quod « lux mundi non expectavit, ut clamaret tale quid, « dicens : *Miserere mei,* Marci, x, 48; sed ultro « naturæ indigenti se accommodavit; et gratuito « beneficio tacenti subvenit; nam hoc ad opera Dei « manifestanda pertinuit. »

Qui misit me.

3. — Hugo Cardinalis ait : « Non opera nostra « debemus agere, sed mittentis, et ad honorem « ejus; » cui consonat quod advertit Lucas Brugenensis, dicens : « Ut ipso missionis nomine declararet; « nimirum non gloriæ cupiditate, sed necessitate « præcepti se facere. »

Donec dies est.

4. — Interlinearis hæc verba ita glossat, ut sit sensus : « *Dum sum in mundo, id est, ex presentia « mea in mundo. »* S. Bonaventura, per diem, humanitatem et incarnationem ejus intelligit, utpote quæ in S. Joanne per diei metaphoram exprimitur; Christus enim dicit : *Abraham pater vester exultavit, ut videret diem meum;* unde verba illa hunc sensum habent ex mente Lyrani : « *Quandiu sum « presentia super terram in humanitate assumpta; »* sicut enim sol in nostro horizonte constitutus causa est diei, ita presentia Christi

veri justitiæ Solis super terram : *Fecit quandam diem gratiæ spiritualium;* et quidem dies iste ab ejus nativitate, ad usque Ascensionem ipsius duravit; quia vero luminosum hunc gratiæ diem ad finem usque sæculorum durare voluit, ipseque una per humanitatem suam, quam ad Patris dexteram collocaturus erat, visibiliter nobis subtrahendus erat, ideo modum per sapientiam suam adinvenit, quod nobiscum in augustissimo altaris sacramento, vere quidem, sed invisibiliter remanere ad finem usque sæculi posset.

5. — Dionysius Carthusianus Christum etiam post Ascensionem suam in cœlum, ab æterni Patris sui operibus nunquam destitisse dicit : « Verum « quoniam Christus etiam post Ascensionem operatur hatur opus nostræ salutis, mittendo Paracletum, « et per Apostolos faciendæ miracula, et per eos et « alios multos illuminando et convertendo, quod et « nunc agit, et usque ad sæculi finem facturus est, « ideo potest hoc modo exponi : *Me oportet operari « opera ejus, qui misit me,* hoc est, miseris subvenire, peccatores convertere, infirmos sanare, « electos custodire, donec dies est, hoc est, durante « tempore gratiæ, seu vita presentis sub evangelica « lege. » De hoc Isaias, ix, 8, prædixit, dum ait : *In tempore placito exaudivit te, et in die salutis auxiliatus sum tibi.* Et Apostolus, II Cor., vi, 2, ait : *Eccc nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.*

6. — Chrysostomus nobis consequentiam quamdam, quam ex hisce verbis deducere possumus, insinuat, dum ait : « Quam habet consequentiam? « sane magnam; tale enim est quod ait : *Donec « dies est, dum licet hominibus in me credere, dum « hæc durat vita laborandum est. »* S. Bonaventura quoque hanc eandem inde deducit moralitatem, eamque ex hisce præcipue motivis : « Propter temporis breviteratem, et ejusdem ad operandum idoneitatem, et propter finis vite incertitudinem, et « mortis subitaneitatem, et operandi post mortem « impossibilitatem, ecce breves anni transeunt, et « semitam per quam non revertor, ambulo. » Dionysius Carthusianus quoque simile prorsus momentum nobis suggerit : « Non ergo, » inquit, « indulta penitentia opera negligamus; non diem « aliquem infructuose perdamus, sed juxta Salomonis doctrinam : *Quodcumque potest manus « nostra, instanter operemur. »*

Venit nox, quando nemo potest operari.

7. — Quid de hæc nocte dicemus, inquit S. Augustinus, *tr. xiv in Joan.*, in qua nemo amplius poterit operari? « Nox illa impiorum erit, nox ista « eorum erit, quibus in fine dicitur : *Ite in ignem æternum, etc.* Nox est : *Projicite cum in tenebras « exteriores.* Operetur ergo homo dum vivit, ne illa « nocte præveniat. » S. Cyrillus Alexandrinus

ait : « Diem corporeæ vite tempus nominat, noctem « diem mortis. »

8. — S. Thomas Aquinas, *in Joan.*, in sensu spirituali duo distinguitur genera noctis : « Una « per subtractionem actualis gratiæ, quam inducit « peccatum mortale et quando hæc nox venit, « nemo potest operari opera meritoria vite æternæ. » Albertus Magnus ait : « Solis justitiæ lumen « tunc non juvat ad operationem; alia nox est consummata, quando non solum privatur actuali gratia quis per peccatum mortale, sed etiam facultate adipiscendi per æternam damnationem in « inferno, ubi profunda nox est. »

VERSUS 5.

Quandiu sum in mundo, lux sum mundi.

1. — « Mundum illuminans, » inquit S. Bonaventura, *in Joan.*, et sic diem faciens; lux venit in mundum. S. Thomas per hanc lucem gratiam intelligit : « *Lux sum mundi* spiritualiter per gratiam. « *Eccc ego vobiscum sum omnibus diebus vite;* iste « dies usque ad consummationem sæculi extendetur. » Dionysius Carthusianus autem Christum principaliter de eo tempore, quo in carne mortali nobiscum vivebat, loqui intendisse existimat, ut sit sensus : « Hominum corda illustro verbo prædicationis, exemplo conversationis, signis divinæ virtutis. » Peregit vero idem extaticus Doctor ulterius docere hanc lucem Ecclesiæ nunquam penitus defuisse, postquam hic Sol justitiæ in cœlum ascendit : « Est autem in hoc mundo inferiori et cum fidelibus per majestatem deitatis, per Sacramentum proprii corporis et sanguinis, atque per spiritualium inhabitationem, quæ mentes devotas per charitatem et cætera gratiæ dona inhabitat. » Toletus considerat, quod dum sol ad aliud hemispherium transcendit, terram luna mediante illuminet, utpote cui hunc in finem lucem suam communicat : « Sic « Christus donec inter nos fuit, per se docuit et « verbo, et opere, et absens per lunam, quæ est « Ecclesia ab ipso illuminata. »

VERSUS 6.

Hoc cum dixisset, exspuit in terram et fecit lutum ex sputo, et linoit lutum super oculos ejus.

Hæc cum dixisset, exspuit in terram.

1. — Nunquid majoris potentie indicium fuisse, si illum unius tantum verbi pronuntiatione illuminasset; cur igitur in terram exspuit lutum hoc fecit? « Sputo illuminat, » inquit S. Thomas, « ut ostendat quod virtute a se egrediente hoc factum est, ut nulli alteri rei miraculum ascribatur. »

2. — Hugo Cardinalis hoc spueri Christi, quod antequam miraculum ederet, præmisit, in mystico

sensu hoc modo exponit : « Deus in terram expulit, cum in mundum divinitas descendit et sic de saliva lutum fecit, quando *Verbum caro factum est et habitavit in nobis*; saliva enim est Dei sapientia, quae ex ore Altissimi prodit; terra est caro Christi, lutum ex sputo et terra, est Christus in utraque natura, Deus scilicet et homo; in huius fide caecus, id est, humanum genus, vel gentilis a populo a cecitate infidelitatis et peccato liberatur. » Incarnatio etenim Verbi humano generi, quod propter idolorum adorationem caecum erat, lumen et agnitionem veri Dei contulit.

3. — S. Cyrillus, *lib. VI in Joan.*, dicit, quod licet per solius vocis imperium solitus fuerit Dominus facere quicquid volebat; attamen « etiam loculo manus admovit; » sed quo putas fine id fecit? « Probans etiam corpus suum vividum vim et potestatem habere : sic et hoc loco illinit sputo, docens et corpus suum vel exili tactu lucem posse conciliari, corpus est etenim verae lucis; » nimirum notum voluit esse omnibus, cuius virtutis sacrosanctum et divinum ejus corpus esset, adeo ut et sputum illius mirabili esset efficacia praeditum, quod alias in nobis vilissimum est excrementum.

4. — Facies Redemptoris nostri in nocte Passionis ejus turpi et foetenti Judeorum sputo defecari debebat; sputo igitur suo hunc a nativitate caecum sanare voluit, inquit S. Asterius : « Ut detestari faciat eos, qui illum paulo post sputis foedabant; » quam enim detestabile erga ingratitude ipsorum facinus, qui sputis et foetentibus salivis suis defecant illum, qui paulo ante eundem concivium ipsorum caeco per sputum suum dederat lumen?

5. — Sputa faciem deturpantia, ignominiam praefigunt et vilipendium, quo nonnunquam illa infallibilis Dei providentia nos affligi permittit et tribulari; quae tamen eadem Dei providentia hanc nobis immisam infamiam ad hunc praecipue scopum et finem ordinat, ut videlicet lumen et agnitionem Dei, quam paulo ante amiseramus, denno recipere possimus : « Imple facies eorum ignominia et quarent nomen tuum, Domine. »

6. — Hugo Cardinalis sputum hoc in alio sensu exponit, dum per illud peccati detestationem intelligit : « Quod est, quando peccator detestatur peccatum : per sputum intelligitur expulso sive exprobrato peccati; fecit lutum ex sputo, quando ex ipsa exprobratione peccati appareat ipsa immunditia peccati; et linivit lutum super oculos ejus, quod est, quando ipsa vilis peccati cum diligentia magna ostenditur peccatori. »

7. — S. Antonius de Padua, *Serm. in hoc fer.*, pulcherrimam nobis quoad correctionem fraternam faciendam, tradit doctrinam, dum ait : « Datur a nobis forma corrigendi proximum, qui de sputo sapientiae, quod procedit a capite, id est, mente,

« debemus facere lutum, id est, mentionem et memoriam de peccato; et oculos linire, id est, benigne facere proximum se recognoscere, non pungere vel vulnerare, sed linire et tunc ipsum mittere ad natatoria Siloe, id est, ad aquam penitentiae. »

Et fecit lutum ex sputo.

8. — Idem Sanctus observat, quod juxta expositionem S. Augustini, per salivam, quae ex capite descendit, Sapientia denotetur increata, quae derivatur a Patre, *Eccl.*, xxiv, 5 : *Ego ex ore Altissimi prodii*; terra vero, humanitas assumpta; lutum vero est unio naturae humanae cum divina : « Istud lutum imposuit Deus oculis humani generis, dum fidem suae divinitatis et humanitatis eos docuit et circa eam instruit. » Verumtamen totum hoc ad veri luminis acquisitionem non sufficiebat, nisi insuper homo ille caecus natatorium Siloe, id est, Baptismum accederet. Quod idem mysterium Rupertus Abbas verbis valde significantibus expressit : « Quid enim aliud nobis manifestatur in isto caeco per illud, quod expuens Dominus Jesus in terram lutum fecit ex sputo et linivit ejus oculos, nisi hoc spectabile et gratiosum opus divinae gratiae, quod Verbum suum pulverem naturae hominis unium, nobis gentibus praedicari voluit. »

9. — Memorandum porro est, quod Apostolus, *Rom.*, ix, 21, supremum mundi hujus architectum in figulo quodam cretae et lutu praefigurat : *An habet potestatem figulus lutu, etc.* In Jeremia, xvii, 6, pariter scribitur : *Sicut lutum in manu figuli, sic et vos in manu mea*; dicit igitur Albertus Magnus : « Lutum materiam substantiae nostrae designat. » Utique Dei Filio pro hujus illuminationis instrumento alia quaedam materia purior et nobilior minime deerat; et tamen lutu hoc et non alia materia excellentiori uti voluit, ad denotandum se illum ipsum esse de quo David ait, *Ps.* cxviii, 73 : *Manus tuae fecerunt me et plasnaverunt me.* « Qui majores substantias de nihilo, » inquit Chrysostomus, *Hom.* lvi in *Joan.*, « ad esse produxit, multo magis oculos sine materia fecisset; sed voluit docere seipsum esse Creatorem, qui in principio usus est luto ad hominis formationem; ideo autem non aqua utitur ad lutum faciendum; sed sputo, ut nihil adscribat fonti. » S. Thomas eandem assignat rationem, dicens : « Lutum fecit ex sputo, ut ostenderet se membra homini deficientia posse formare, qui formaverat totum primum hominem; unde sicut primum hominem de luto formavit; ita lutum fecit, ut formaret oculos caeci nati. » Toletus Christum existimasse dicit operae pretium futurum, si per luto corporis defectibilem in hoc caeco per lutum denno repararet : « Ut dum eadem materia utitur ad parvam reparandam, videatur ille esse, qui de eadem

« materia totum fecit. » Adducitque expertissimi ejusdem artificis statuarii exemplum, qui in pulcherrima a se albatae exsculpta statua, aliquam illius partem imperfectam relinquit, ut hac ratione ipse tanquam verus illius auctor ab aliis agnoscat, utpote quae nullius alterius artificis peritia ad perfectionem valet, aut praesumit perducere. « Sic fecit Christus in hujus hominis creatione, reliquit oculos imperfectos, quos nulla ars, nulla vis naturalis potuit perficere, etiamsi ad multos annos imperfecta expectaverit; supervenit tandem ipso artifex et perfectit, eadem materia utens, qua a principio usus fuerat et hac ratione se totius hominis auctorem manifestavit. » Chrysologus, *Serm.* clxxvi, partim ad ejusdem alludit conceptum; dum ait : « Christus imponit lutum, ut creante manu inde suppleret homini lumina, unde hominem fecerat lutum. » S. Irenaeus ait : « Ostendens antiquam plasmationem et manum Dei ostendens, nec jam alteram requiremorum manum, nec alterum patrem scientes. »

Et linivit lutum super oculos ejus.

10. — Lucas Brugensis extra omnem ambiguitatem positum esse dicit, quia Salvator vel per se immediate, vel mediantibus Apostolis ab hoc caeco quaesierit, an lucem sibi communicari desideraret; et quidem verisimile est hosce Apostolos ei indicasse praesentem esse famosum illum Taumaturgum, cujus utique per famam audierat egregia miracula, ac consequenter eum ad sollicitandum extimulasse, utpote qui ad ipsum illuminandum esset promississimus : « Nec minus dubitandum, quin caecus responderit, nihil optatius sibi posse contingere; » neque enim caecus ille suos sibi oculos luto defecari passus fuisset, nisi spem firmam concepisset recipiendi luminis : « Quomodo passus fuisset caecus oculos sibi foetentibus foedari, quae luto si ex improviso Jesus nihil tale cogitarem affecisset. »

11. — Chrysostomus, *Hom.* iv in *ep. ad Cor.*, Christum per remedia visui totaliter contraria caecum hunc illuminasse advertit : « A contrariis in caeco operatus est Christus, cui cum mederi vellet, per rem oculos contrariam fecit, quippe cui lutum imposuit et a caecitate liberavit. » Salmeron, *tom. VI, tr. xxxix.* ad id probandum, alia in medium adducit facta similia; sicut dum super apostema Ezechiae massam ficem applicari jussit, dum per salem in amaras aquas Jerichuntinas conjecit, easdem indulcoravit; nec non per lignum in aquas Mara, quae Hebraei a Loen manasse scribunt, projectum : « Luto ad excecandum potius apto, » inquit Toletus, « lucem restituit. » Jansenius ait : « Is rebus ad aperiendum huic caeco oculos usus est, quibus nemo dubitare potuit hujusmodi virtutem non inesse, imo quae potius caecitatem afferre nata

« essent. » Albertus Magnus quoad oculorum fabricam, quamdam refert Platonis et Aristotelis opinionem : « Secundum Platonem oculi ex igne; secundum Aristotelem ex aequo limido conficitur oculus; et ignis quidem fulgor caligat ex luto, et aquae limpiditas turbatur, ut per contrarium naturae divina virtute sanatus esse intelligatur. » Voluit nimirum, ut intelligeremus lumen hoc non luto, sed superhumane et divinae sapientiae et omnipotentiae suae attribuendum esse. Chrysostomus ait : « Ut ait igitur per lutum caecum curavit, ita etiam orbem terrae per crucem alexit, quae caecum danti incrementum, non abolitio videbatur. » Per mortem namque vivificavit universum genus humanum : « Salutem humani generis in ligno crucis constituiti, ut unde mors oriebatur, inde vita resurgeret. »

12. — Ex quo per caecum hunc populum gentilis luce Evangelii et fide Christi illustratus intelligitur, apte Salvator sputo, terra et luto uti voluit, ut mysterium quoddam nobis utilissimum insinuaret, nimirum quod ad lumen Evangelii gentibus communicandum uti nonerit Philosophis, Oratoribus, Principibus, vel Monarchis, sed vilibus idiotis et abjectis piscatoribus : *Videte vocationem vestram, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed quae stulto sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes, et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia, et ignobilia mundi et contemptibilia.* Quenam obscuro materia vilior esse potest luto? ad quae creatura pulchrior est aut nobilior luce? et tamen increata Sapientia modum advenire novit, oculum, partem nimirum humani corporis spectabiliorem, magisque conspicuam et lucem illius formandi ex luto, *Luc.*, iii, 8 : *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahae.* S. Franciscus filius erat Bernardini Assisinate, eratque omnium litterarum, nobilitatis, aliorumque talentorum omnino expertus et tamen Deus modum novit, quo illum ad Seraphinorum chorum usque sublimaret, si verum est, quod de eo nonnulli crediderunt, quod nimirum S. Franciscus in Luciferi sedem fuerit collocatus, et sic deinceps de innumeris aliis discurre licet, qui ex humili statu a Deo ad sublimia fuerunt exaltati.

13. — Dionysius Carthusianus dicit, Christum, per hoc miraculum, modum nos docere voluisse, quo ad nos interiorum illuminandos usus fuit : « Per exteriora ista quae fecit, insinuavit, quo modo et ordine interior oculus illustratur. Expulso in terram figuravit effusionem divinae sapientiae super corda hominum; lutum est cor humanum, quoniam sensus et cogitatio hominis prona sunt ad malum et ad terrena jugiter inclinantur, nisi cor ipsum divina gratia profundatur, ac elevetur; per litionem lutu istius super oculos caeci desi-

« gnatur lux spiritualis, qua Verbum incarnatum, « vel homo quicumque divina sapientia illustratus, « docet intellectum fratris seu proximi sui; » eique ut se in aquis Siloe lavet, id est, cor suum ab omni caligine vitii et culpæ, in fonte vivo veræ sapientie, id est Christo, mundet et purificet, imponit. S. Gregorius a S. Thoma citatus aliam assignat rationem, cur salvam cum terra miscens, lutum fecerit: « Salivam, » inquit, « luto miscuit et cæci nati « oculos reparavit, quia superna gratia carnalem « cogitationem nostram per admixtionem suæ con- « templationis irradiat et ab originali cæcitate ho- « minem ad intellectum reformat. »

14. — Porro de Tobia legitur, eum oculorum suorum lumen per stercorem amisisse hirundinum, quod ei super oculos ceciderat; hic autem idem oculorum lumen per terram et lutum generatur et producit. Enimvero per stercorem bona intelliguntur terrena, quibus adherescimus. Unde Apostolus, *Philipp.*, in, 8, ait: *Omnia arbitror ut stercorem, ut Christum lucrifaciam;* hoc vero stercorem, id est, inordinatus iste et nimis ad bona temporalia affectus in causa est, cur verum Dei lumen atque notitiam amittamus; Deus autem per infinitam sapientiam suam lumen istud nobis per lutum restituere novit, dum illud oculis superimponit, id est, per agnitionem et notitiam, quam nobis de harum rerum terrenarum vanitate et instabilitate interius communicat. Formantur nonnunquam ab arte certa quedam perspicilla, quorum vitra colorata sunt; et quidem si vitrum istud flavum est, v. gr. omnia, quæ per talia perspicilla cernuntur, flava quoque et ipsa, aut pro alio perspicillorum colore aliis quoque et ipsa esse videntur, hoc igitur modo Salvator noster fecit; nam ut miserabilis hic cæcus lumen acciperet oculorum, perspicillum quoddam ei ex luto formatum subministravit, ut hac ratione omnia hujus mundi bona lutea illi esse viderentur, vult enim Deus, ut quemadmodum David, *Psal.* xvi, 11, de mundanis dicit: *Statuerunt oculos suos declinare in terram,* ita quoque illam talem qualis revera est, id est, terram et lutum, et nihil aliud esse agnoscerent.

15. — Salvator noster per lutum cæcum illuminat, cum tamen experientia nobis clare demonstret quod quilibet etiam minimus pulveris atomus visum obfuset, ipsaque oculorum pupillam hebetare faciat; ad insinuandum nobis, quod tunc vel maxime lumen animæ communicetur, quando in rebus hujusmodi cæci et ignorantem sumus. Unde de Saulo, *Act.*, ix, 3, dicitur: *Circumfuit cum lux de caelo;* et tamen idem *apertis oculis nihil videbat;* tunc enim, id est, in illa cæcitate constitutus, adeo illuminatus fuit, ut ex persecutore factus sit Apostolus et Doctor gentium, qui sua predicatione et copiosa doctrina hunc cæcum natum illuminavit, id est, gentilium universum clara Evangelii luce illustravit. Unde S.

Ambrosius ait: « Inde Saulus desinit videre sæcularia, quia incipiebat audire divina. » Et S. Bernardus, in sermone quodam de conversione hujus Apostoli ita scribit: « Pauli felix cæcitas, qua male « quoddam illuminati in prevaricatione, tandem « in conversione oculi salubriter excecavit. » Qui igitur in conspiciendis et appetendis hujus vite bonis Argus fuit, talpa fieri debet, si visus ei velut incentivum ad peccatum antea fuerit. S. Gregorius Nyssenus ait: « Est autem cæcus is, qui nullus « oculis ad vana aspiciet. »

16. — Salmeron dicit, Salvatorem nostrum hoc oculis superimposuisse, ut finis sui memoriam ob oculos semper positam haberet: *Memento homo quia pulvis es.* Primum etenim nostræ substantiæ principium terra et lutum fuit: « Formavit « Dominus Deus hominem de limo terre, quia « memoriam mortis nostræ et utilitatis nobis repræ- « sentat. » In Apocalypsi, iii, 17, de miserabili illo homine, qui sibi aurum semper ob oculos ponebat, nec alia de re, quam de auro et argento somniabat, hæc verba legimus: *Dicis quia dives sum et locuple- « tatus, et nullius egei,* qui utique clare satis se cæcum et miserabilem esse demonstrabat: *Nescis quia tu es miser, et miserabilis, et pauper, et cæcus, et nudus.* Eodem tempore, quo sancta mater Ecclesia nos thesauros congregare jubet: *Thesaurizate vobis thesauros in caelo,* simul etiam capita fidelium pulvere inspergit, lutumque hoc oculis superimponit dicens: *Memento, homo, quia pulvis es.*

17. — Considerandum hoc loco etiam est, quod in miserabili hoc a nativitate cæco et mendico homine nulla fuerint oculorum organa, sed quedam duntaxat concecitas oculorum. Unde Toletus ait: « Oculos appellat illam imperfectam oculorum par- « tem, quæ erat in concecitate, in qua oculi esse « solent, » adeo ut libere asserere valeamus, quod Salvator noster, humorem crystallinum, pupillas, tunicas, potentiam visivam et omnia alia ex luto produxit; in quo facto supremum hic artifex docere nos voluit, quod ad acquirendam perfectam Dei, nostrique ipsius agnitionem et verum notitiæ lumen, solum lutum ob oculos positum sufficit. Toletus ait: « Advertunt causam esse ut per hoc « induceretur homo in humilitatem; est enim ex « quod pulvere terræ factus, qui est pars inutilior terræ « et fragillior. » Adducitque S. Ambrosium ita scribentem: « Si volumus mentis nostræ oculos sanare, « debemus lutum super eos ponere, nempe consi- « derare nostram miseriam, fragilitatem, imperfec- « tionem et peccata, a cognitione enim sui incipit « Christiana perfectio. » Consideranda quoque est anime nostræ ingenua nobilitas, utpote que viva est sacratissima Triadis effigies, luteo hinc corporis nostri vasculo inserta. Unde Nazianzenus, *orat.* xvi, exclamat dicens: « Haud equidem scio, quo pacto « simul et imago Dei sim; et cum cæno voluter? »

Num forte Deo purior aut nobilior materia præsto non erat, quam lutum istud? At vero idem Sanctus prolixius respondet, per infallibilem et errare nesciam divinam providentiam ita factum esse, ut anime luteum hoc mortalitatis nostræ pondus adju- ceretur, ut humilis esset, nec unquam per super- biam, aut Luciferi accidit, evanesceret. « Hæc nos- « tra temperatio est, ut cum imaginis dignitas « nobis animos extulerit, pulvis eosdem deprimat, « contrahalque. »

18. — S. Antonius de Padua ex hisce verbis moralitatem quamdam adversus illos deducit, qui natalium suorum nobilitate superbientes alios contemnunt: « Remedium contra tales est ponere « lutum super oculos, id est, considerare fositatem « communem in ortu et in exilu tuo. *Job.*, xxxiii, « 6: *Ece me, sicut et te fecit Deus et ex eodem luto « ego quoque formatus sum.* » Omnes quoque tales sanctus hic Prædicator ad natatorium Siloe dimittit, id est, « ad fluvium humilitatis, quæ sunt aquæ « currentes. »

VERSUS 7.

Et dixit ei: Vade, lava in natatoria Siloe, quod interpretatur Missus. Abiit ergo, et lavit, et venit videns.

Et dixit ei: Vade, lava in natatoria Siloe.

1. — S. Antonius Paduanus aquam hanc ex altera parte civitatis situatam fuisse et Salvatorem cæcum hunc adeo procul amandare voluisse dicit: « Ut tam corporalem defectum quam spirituales « medicinas omnes possent aspicere. » Toletus aquam hanc ad integrum miliare ab urbe remotam fuisse asserit, dicitque: « Id factum, ut miraculum « Christi divulgaretur, homo enim cæcus media « civitate luto oculis imposito incedens, omnium « pertransientium oculos ad se convertebat, quos « veniens et revertens cum visu, testes oculatos « facti habebat. » Hanc eandem rationem S. Thomas diu ante expressit, dicens, id factum « ad con- « futandam Judæorum duritiam. » Chrysostomus quoque ait: « Multos via longitudine testes et dili- « gentiores spectatores rei insolentia comparat, ut « attentiores facti, jam non possent, an is esset, « dubitare. »

2. — S. Thomas in laudem cæci hujus aliud quoddam nobis motivum subministrat: « Ut com- « mendarer cæci obedientia et fides; frequenter « enim forte lutum in faciem receperat, frequenter « in natatoria Siloe se laverat et tamen non vide- « rat, unde potuisset dicere: Lutum solet magis « excecere, et multoties me ibidem lavi, et a nullo « sum adjutus. »

3. — Quod vero mysterium attingit, hæc est Rupertii Abbatis ponderatio, quod videlicet Salvator cæcum hunc non statim post impositum oculis

ipsius lutum, videre posse voluerit, sed tunc pri- dem illuminatum fuisse, quando, ut oculos ablueret, ad aquas illas concessit, quia *omnia in figura contingebant.* « Verum ubi cæci oculis hoc lutum illium « est, id est, incarnatio Filii Dei prædicata et crea- « dita est, non statim eodem, quamvis credulo au- « ditu cæcus illuminatus et visione Dei, quam in « Adam perdidit, factus est dignus, nisi ad fontem « lavacri cathecumens accedens, baptizaretur et « nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti; aliter « quippe lumen oculorum nostrorum Spiritum « Sanctum nemo nostrum accepisset in remissio- « nem peccatorum. » Unde aptissime ad proposi- tum nostrum Nazianzenus, *orat.* in S. *Baptistam*, Baptismum hoc epitheto condecorat: « Baptismum « illuminationem appellamus, quia per eum sanc- « tam illam lucem intueremur, atque ad divinum « numen intendendum oculorum acie pollemus. » Ita Nazianzenus.

4. — Toletus aliud quoddam hic exponit myste- rium, dicitque Christum in persona hujus cæci, id quod per suum in hunc mundum adventum Judaismo ipsum recipere abundanti evenlurum erat, adumbrare voluisse; nimirum quod post ejus ad- ventum magis excecandi forent, quam antea, quia nisi cæcus ille ad Siloe aquas properasset, non solum oculorum suorum expeditum lumen nunquam comparaturus fuisset, verum etiam oculi ejus in longe deteriores futuri fuissent conditione, quam antea, eo quod luto essent illiniti: « Talis fuit adventus « Domini his, qui cum non receperunt, nec vene- « runt ad Siloe, id est, Christum, missum a Deo, « obdurati enim magis et cæcitate obscurati evase- « runt. » Id quod Salvator noster paulo post in fine hujus historie apertius declarat, dum ait: *Veni in judicium, ut qui vident, cæci fiant;* id est, qui sibi videre videbantur, nec me receperunt, nec feci sunt. Hanc cæcitate porro Isaias, vi, 10, hisce verbis prædixit: *Excæca cor populi hujus.*

5. — Hugo Cardinalis per has aquas Siloe penitentiæ interpretatur et planctum: « Aqua lacry- « marum est natatoria Siloe, quæ per intervalla « datur a Deo et raro, non quotiescumque volumus, « et secreto, sicut aquæ Siloe, quæ flunt cum « silentio. » Nimirum ad illud alludit, quod S. Thoma hisce verbis scribit: « Si volumus mundari a « cæcitate cordis, oportet quod spiritualiter lave- « mur. *Isa.*, i, 16: *Lavamina, mundi estote.* »

6. — Poterat equidem Salvator noster Apostolos, vel alium quempiam ad hasce aquas ad se afferen- das ablegare, ac demum lutum hoc suis manibus ab oculis cæci abluere; hoc tamen facere noluit, quin potius ipsismet ad Siloe piscinam abire jus- sit, ut per hoc denotaret, quod in arduis salutis nostræ negotiis, præter divinæ gratiæ, divinorum- que auxiliorum efficaciam nostra quoque insuper requiritur cooperatio; vult enim ut nos quoque ex

parte nostra cooperemur. Tametsi enim Dens ad salutem nostram adjuvando concurrat, eamque efficaciter desideret, necessum tamen est, ut et nos quoque ad eam nobis comparandum cooperemur. Etenim axioma est indubitalum: « Qui creavit te sine te, non salvabit te sine te. » Eliseus quidem lepram Naaman Syri solius vocis suae imperio sanare poluisset et lamen praefato Naaman praecipit: *Vade, et lava septies in Jordane, et recipiet sanitatem carnis tuae.*

Quod interpretatur, Missus.

7. — S. Augustinus, *tract. XLV in Joan.*, ait: « Pertinuit autem ad Evangelistam commendare nobis nomen hujus piscinae et ait, *quod interpretatur, Missus*; jam quis sit missus, agnoscitis, nisi enim ille fuisse missus, nemo nostrum esset ab iniquitate admissus. Lavit ergo oculos in ea piscina, quae interpretatur missus, baptizatus est in Christo. »

8. — Cajetanus Evangelistam nos docere voluisse dicit, undenam haec aqua illius virtus procederet: « Ad significandum mysterium virtutis illuminativae in illo lavacro esse non ex natura, sed ex significatione, hoc est, ex misso, hoc est, *Verbum caro factum est.* » S. Cyrillus Alexandrinus ait: « Cujus necessario nomen interpretatur Evangelista sapientissimus, ac Spiritu divino afflatus; existimamus enim alium neminem esse missum illum, quam filium unigenitum caelitus a Patre huc profectum et delegatum ad peccati perniciem et ad diabolicam tyrannidis eversionem. »

Abiit ergo, et lavit, et venit videns.

9. — Salmeron ait: « Porpende breviter Evangelii, quae succinctis verbis magna explicat mysteria: *Abiit, lavit, et venit videns*; sicut Caesar qui dixit: *Veni, vidi et vici.* »

10. — S. Thomas caecum hunc sine ulla mora Dei jussu, ob lucis sibi impertiende spem, quam habebat, prompte obsecutum fuisse considerat: « Neque mirum, quia dicitur, *Proc., vi, 23: Mandatum, scilicet impletum, lucerna est et lux tua*; ipsamet igitur divini praecipit executio lucem oculis ejus influebat. Porro obedientia caeci hujus rara quaedam obedientia fuit, quia sine replica, sine murmure, sine discursu et sine ulla contradictione obediit, unde adeo perfectum lumen accipere meruit, ut se a corpore ad animam quoque illustrandam pariter transfunderit, prout ex ejus liquet responso, quod coram toto Hebraismo, qui ei se opponebat, in Christi defensionem edidit, sicut et ex ultimis praesentis Evangelii verbis.

11. — Porro hanc obedientiam admirantur omnes sacri Expositores. Etenim Chrysostomus, *Hom. LVI in Joan.*, ait: « Sed intueri caeci animum in omnibus parentem: praebuit os, nihil sollicitus an lutum esset, an sputum et quid sibi Siloe opus

« esset, et si hoc, cur illo? non cur lutum limiret super oculos, aut cur lavari praeeperit; nihil tale reputavit, illud duntaxat curavit, ut pareret in omnibus operanti. » Toletus pulchre hic observat, lucem oculorum caeci hujus eadem cum promptitudine correspondisse, quae ipse verbis obediens Christi: « Ut enim ille sine excusatione obediit, ita et Christus obedientem sine mora illuminavit. » Christus, inquam, cui idem S. Joannes testimonium perhibet, dicens: *Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem.* Dionysius Carthusianus quoque ait: « Obediendo Christo in ipsa piscina visum recepit, quo significatur, quod qui obedit Deo, copiosius illustrari meretur. » Lucas Brugnensis pariter hanc eandem caecae obedientiae circumstantiam his verbis tetigit: « Ut ergo ille sine tergiversatione obediit, ita et Jesus obedientem sine mora illuminavit, idem enim sequitur, et venit, sed reit videns. »

12. — Praeter hanc ejus obedientiam viva quoque fides illius non minore meretur admirationem. Etenim valde est verisimile, multos qui sputum et lutum oculis ejus adherescens videbant, quales utique multi fuerunt, illum verbi contumeliosius subsannasse et derisisse, eos praesertim, qui id Christi, erga quem odio et invidia ardebat, jussu et ordinatione factum esse sciebant; nihilominus ipse omnia haec per vivam miraculi fidem generose superavit et vicit. « Vide caeci mentem, » inquit Hugo Cardinalis, « obediens et credentem; non cogitavit, lutum imponere hoc magis exoccare est; nec dixit: Non potuit prius praesens curasse et tunc misisse Siloam; si quia virtutem haberet praesens curasset; non opposuisse se, alias ibi saepe sine fructu ablatum fuisse, nec lamentatus de eo, quod remedium oculis contrarium, salvam scilicet et lutum oculis ejus adhiberet; siquidem viva ejus fides omnem contradictionem superabat, utique in via, dum ad fontem seu piscinam illum contenderet, intra semetipsum ad Christum mente conversus dixit: *Apud te est fons vitae et in lumine tuo videbimus lumen.* » Observanda hujus caeci magna fides, inquit Lucas Brugnensis qui, non solum oculis sibi saliva et luto iungi et obtinui permisit, verum etiam illa in facie servavit et deturpatus in conspectu omnium, per tantam vite distantiam ad aquas processit: « Sed ut illic operi Christi locum dedit, ita hic jussu illius prompte obediit, etiamsi cuncta rationi humanae viderentur ridicula, commisit se Christi et manibus et verbis. » Euthymius quoque in ejus laudem ita scribit: « Nihil haesitans, sed confestim obediens et simpliciter credens, quodque ad salutem suam conveniret et fecisset Jesus et jussisset. » Obedientiam enim vite fidei ipsius affectum fuisse certum est. Praeterquam quod etiam dici possit: *Praeceptum Domini lucidum illuminans oculos.*

13. — S. Cyrillus Alexandrinus in hac caeci promptitudine, magnam Gentilium in amplectenda Evangelii praedicatione promptitudinem adumbratum fuisse, dicit: « Abiit porro caecus confestim abluturus et sine cunctatione imperata facit, ostendens tanquam in seipso gentium promptum obsequium, de quibus scriptum est: *Preparatio nem cordis eorum audivit auris tua.* »

14. — Lucas Brugnensis sensum verborum illorum, et venit videns, expositurus, observat quod S. Joannes non dicat caecum lumen oculorum suorum accepisse, dum oculos lavaret, vel mox ut illos lavit: « Sed quod rediens viderit, seu quod inter redeundum visus ei natus fuerit. » Et quidem satis credibile est caecum hunc post acceptum visum primo omnium accessisse in domum parentum, ut eos hujus tam grati et laeti nuntii conscios redderet; hoc enim ex vers. 22, praesentis Evangelii satis aperte colligi posse videtur; demum vero locum illum denno repetiverit, ubi solitus erat a praeteritis mendicare, non ut iterum mendicaret, sed ut contempleretur locum illum, in quo tam diu egerat tenebrosus et vicinis caeterosque illic transire consuetis se conspicendum praebat ex caeco videntem; nam et speravit forte Jesum illic invenire se posse, eique gratias agere. »

VERSUS 8.

Itaque vicini, et qui viderant eum prius, quia mendicus erat, dicebant: Nonne hic est qui sedebat, et mendicabat? Alii dicebant, quia hic est.

1. — Theophylactus hanc a S. Joanne circa caecum hunc adjectam circumstantiam, quo scilicet mendicaverit, minime superfluum esse censet: « Non temere hoc adnotavit, quod mendicus esset, sed ut ostendat ineffabilem Domini misericordiam, quae se ad infirmos usque admittat, ita ut et mendicum summam diligentia curaret et inde etiam ipsi disceremus, ne contemnamus minus. » Chrysostomus summam illam Salvatoris benignitatem obstupescens exclamat: « Pape! quod Dei descendit humanitas? benignissime medicos curat, Judaeis silentium imponit, quod non claros et generosos viros, non Principes, obscuros etiam sua dignos providentia dacebat. »

2. — Salmeron observat, quod caecus hic postquam illuminatus fuit, vix amplius ab aliis agnitus fuerit et ideo in ipsius persona peccatorem quemdam a pristina sua conversatione pessima respicientem intelligens, hanc ei proponit moralitatem: « Ex mutatione vite nostrae illud consequi debet, ut vix agnoscamur etiam a vicinis et notis. »

VERSUS 9.

Alii autem: Nequaquam, sed similis est ei; ille vero dicebat, quia ego sum.

Sed similis est ei.

1. — Rationem hujus ambiguae perplexitatis Lyranus his verbis assignat: « Ex visu enim fit homo maxime agnoscibilis et restituito visum ita mutaverat vultum ejus, quod vix poterat recognosci, nisi a valde expertis, quales erant vicini. » Dionysius Carthusianus illos ex duplici motivo dixisse refert: Primo, quia longe censebant esse possibilis et facilius, quod duo darentur hominum vultus ex omnibus faciei lineamentis uniformes, sibi que adeo consimiles, ut unus ab alio nequaquam possit discerni, quam quod aliquis a natalitate caecus posset sanari. Secundum vero est: « Quia et caecus iste in vultu aliqualiter fuerat mutatus, propter oculorum apertionem. »

2. — Lucas Brugnensis eadem motiva adducit; secundo vero testimonium quoddam adjungit S. Augustini dicens: « Aperti oculi vultum mutaverant, adeoque totius corporis habitum. »

3. — S. Ambrosius de penitentia tractans dicit: « Seipsum homo abneget et totus mutetur. » Qui idem de juvene quodam refert, qui postquam lubricam et inhonestam aliquamdiu conversationem habuisset cum certa quadam muliere, cum post diuturnum respicientiae suae tempus eidem mulieri obviam factus et ab eadem agnitus, ad veteris familiaritatis renovationem ab eadem exstimularetur, ille se eam agnoscere dissimulavit; cumque ipsa se talem esse et tali nomine appellari diceret, ille: Sed non sum ego amplius talis, respondit: « Ab ipso non interpellata mirata pulsaverat se non recognitam, rursus occurrere dixerit: Ego sum; responderit ille: Sed ego non sum ego. »

Ille vero dicebat, quia ego sum.

4. — « Vox grata, » inquit S. Augustinus, « ne damnetur ingrata. » Rupertus Abbas Tuitiensis magnam caeci hujus erga suum benefactorem gratitudinem admiratur, dicens: « Mente et corpore illuminatus, qualem potest, illuminatori suo respondit gratiam, eligens magis invidiam cum illo sustinere, quam ingrato silentio laudi et gloriae Dei damnium inferre, ejus dicto sive responso merito hic ut fide vere fidus notarius, primum mente memori, deinde et calamo excipere curavit. » S. Cyrillus Alexandrinus, id quod bonus hic homo fecit et dixit, ponderando, velut ex ore ejus loquens ita scribit: « Beneficentum de me gratitudine animi remunerabor, intempestivo silentio non utar, honorabo medicum agnitione beneficii. »

5. — Chrysostomus caecum hunc jam illumina-